

nihil fere valet ars chirurgica, et cujus exempla copiosa Cel. HALLERVS collegit ^{c)}. Vulgares tamen species annotabimus.

§. 2.

Tumor capitis. Caput compressum.

Cum in pertractandis infantum recens natorum morbis chirurgicis situs partium laesarum ordinem optimum suppeditare videatur, hunc prae reliquis eligere, et a capitis morbis externis, quibus infantes affici solent, incipere placuit. Prima horum species est ille tumor, qui partes capitis molles atque integumenta occupat, a compressione in partu oritur, et pluribus infantibus neonatis solemniter, germanico nomine *der Vorkopf* appellatur. Plerumque in sincipite, vel occipite, rarius in facie reperitur. Capite enim fetus diutius in apertura pelvis haerente, regressus sanguinis per venas in superficie magis excurrentes necessario impeditur: Ex quo fit, ut sanguis coacervatus aut in telam cellulosam effundatur, aut saltem in vasis minimis adeo copiose stagnet, eaque inflat, ut tumor inde insignis oriatur, qui saepius, basi calvae in apertura superiore pelvis commorante, jam ante genitalia conspicitur. Usus hujus tumoris in partus viis dilatandis, et signa varia vitae fetus ex illo desumenda, hic explicare non necessarium arbitror. Periculum infanti ex eo nullum imminet, licet occipitalem letalem esse affirmet LEVRETUS ^{d)}, qui eum forsitan cum hydrocephalo, vel hernia encephali confudit. Neque in non adeo magno tumore multis auxiliis opus est, cum in infantibus, in quibus contusiones facillime resol-

A 2

vun-

c) Lib. de monstris. vid. EIVSD. Opp. minor. anatom. argum. Tom. III.

d) *L'Art des accouchemens* p. 29.